

timorem reprobare, interdum vero eundem timorem summis laudibus celebrare; ut propterea s. Augustinum cum Augustino componamus, ac ne secum minime coherere ipsum dicamus, restat ut necessario inferamus loqui s. doctorem de timore mundano ac vitioso, deque prava hominis male timentis dispositione, cum eum reprobatur; loqui vero de timore supernaturali ac disponente ad justificationem, cum eum commendat et ad eum homines fideles exhortatur.

III. *Obj.* 1. Metus gravis cujusmodi est metus gehennae; aufert libertatem, et assensum violenter extorquet, ergo inutilis est; 2. imo noxia est ejus modi poenitentia quae ex timore oritur, nec potest non esse meram hypocrisis, cum homo per ipsam exterius simulet odium peccati, quod tamen intus in corde amat, quodque libentissime patretur, nisi ferreis timoris vinculis impeditur, ut praecare animadvertit s. Augustinus dicens: *Qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere* (Epist. CXLV. n. 4). Sed 3. praeterea hic timor facit hominem magis peccatorem, quia majorem legis cognitionem inducit, testante apostolo, Rom. V. 20. *Lex autem subintravit, ut abundaret delictum.* 4. Ipsa natura odii id evincit, nemo siquidem potest aliquid odisse, nisi ejus oppositum diligat, cum amor sit prior odio, imo odium ex ipso amore gignatur; cum igitur timor servilis non oriatur ex amore justitiae, non potest odium peccati in nobis gignere et 5. cum non oriatur nisi ex *pharisa*, seu amore proprio, hoc ipso quod homo ex timore a peccato abstinere aut de eo dolet, convincitur non amare nisi seipsum, idque eo magis, quo magis timet. Ergo.

Resp. Ad 1. vel Neg. vel Dist. Timor gravis minus liberum animum efficit, seu, ut loquitur s. Thomas, aufert libertatem *secundum quid*, C. tollit absolute, N. Alioquin frustra Deus incuteret timorem, et Christus timere gehennam nos docuisset. Ecclesia eos semper poenitentiae subiecit, qui tormentorum timore ac vi fidem ejurarunt (1).

Ad 2. Dist. Si solam manum cohibeat, ut timor poenitentiae infligenda ab hominibus et quidem ex prava subjecti dispositione, C. si ut medium cohibeat etiam animum a prava voluntate, cujusmodi plerumque est timor poenitentiae a Deo infligendarum, N.

Hinc patet responsio ad primam probationem, qua asseritur hominem exterius simulare odium peccati quod intus amat, cum id falsum sit; etenim cum nemo velit finem suum, suam nempe felicitatem, ejus modi poenitens utitur timore poenitentiae quasi medio efficaciori quo moveat se ad detestanda peccata, per quae illam amisit, vel eo utitur ne peccet eamque amittat.

Quod vero spectat ad effectum s. Augustini, responsio patet ex iis quae de germana s. doctoris mente exposuimus. Loquitur enim in objecto loco de timore vitioso qui oritur ex prava subjecti dispositione. *Per hoc*, inquit, *in ipsa voluntate reus est, qui vult facere, quod non licet fieri, sed ideo non facit, quia impune non potest fieri. Nam quantum in ipso est, mallet non esse*

(1) Cf. Bellarm. de poenit. lib. II. cap. 48. n. 5.

justitiam peccata prohibentem atque punientem (Epist. cit. loc. cit.). De hoc porro timore nobis non est quaestio.

Ad 3. Neg. ad prob. vero, Dist. Timor quandoque hominem magis peccatorem facit ex ipsius malitia, C. ex natura timoris aut legis, N. Hinc idem apostolus, ib. VII. 7. subdit: *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit; sed peccatum non cognovi nisi per legem... occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Itaque timor servilis per se bonus ac utilis est, atque ad charitatem viam sternit, licet ex humana infirmitate aut malitia possit fieri subjective malus, ut cum impij exinde occasionem sumunt Dei justitiam blasphemandi et odio habendi.

Ad 4. Dist. Non potest timor odium peccati in nobis gignere immediate, C. mediate, N. Nascitur enim ejusmodi timor, ut jam diximus, ex amore quem homo necessario habet ad semetipsum, quo fit ut ea timeat quae suae felicitati adversantur, cujusmodi in primis poenae aeternae sunt. Cum igitur sciat peccator se incurrisse in poenarum istarum reatum per lethales culpas, ideo his sibi comminatis poenis movetur ad ejusmodi culpas detestandas, quae se in tantam infelicitatem dejicerent. Sic quia diligimus sanitatem, abhorremus a cibis suavisibus qui valetudini adversantur, contra vero potiones amaras eligimus ad eam conservandam aut recuperandam.

Ad 5. Dist. Oritur timor de quo disserimus ex amore proprio ordinato et honesto, C. inordinato et vitioso, N. Amor enim quem erga se habet homo, quatenus ordinatus est ad aeternam felicitatem quae illi tanquam finis proponitur, bonus est atque a Deo in animum injectus, ideoque et bonus est timor peccati qui inde nascitur, ne suo fine ac felicitate homo privetur. Alioquin quoties sancti propter aeternam retributionem mali aliquid passi sunt, aut aliquid boni sunt operati, toties graviter deliquissent, quod nemo nisi insanus affirmare audeat. Ille vero, saltem interpretative, ut dicitur, se ipsum ut finem ultimum constitueret, adeoque perverse se ipsum amaret atque ex prava dispositione peccaret, qui metuere timore serviliter servili. Hic enim timeret poenam ut summum malum, id est magis poenam quam culpam in quo servilitas consistit. Hic timor profecto neque attritionem gignit, neque ad justificationem disponit. Nos porro disserimus de timore qui voluntatem a culpa removeat (1).

PROPOSITIO II. — *Contritio charitate perfecta hominem Deo reconciliat, priusquam sacramentum poenitentiae actu suscipiatur, non tamen sine sacramenti voto quod in illa includitur.*

Haec propositio, ut supra indicavimus, fidei proxima est, et jansenistas ac quosdam catholicos perstringit, qui, non obstante aperta concilii Tridentini doctrina, et condemnatione propositionum Bani docentis peccata cum perfecta charitate posse consistere, inficiari

(1) Cf. s. Th. 2. 2. 19. q. 1. 2. et seqq.

ausi sunt contritionem charitate perfectam sine actuali sacramenti susceptione hominem statim cum Deo reconciliare. Anonymus enim quem fuse refellit Bellarminus (lib. II. de poenit. cap. 15.) contendebat his perfecte contritis et charitate flagrantibus non remitti peccata ac reatum poenae aeternae absque actuali baptismi aut poenitentiae susceptione nisi forte in articulo mortis. Alii censent non remitti nisi raro, in casu nempe necessitatis, ac deficiente confessarii copia; non autem ordinarie neque frequenter, multo minus semper (ita Estius in 4. d. 17. § 2. et seqq.). Demum nonnulli existimant, non omnem Dei amorem super omnia ex certa lege hominem justificare (1).

Frustra porro tum jansenistas, tum theologos illos laborare sic evincimus: doctrina illa fidei proxima censenda est, atque ab omni proinde catholico theologo tenenda, quae expresse traditur ab oecumenica synodo, et romanis pontificibus, quaeque luculentissime Scripturarum et patrum auctoritati innititur. Talis est autem doctrina quae in propositione enuntiat.

Ac primo quidem expresse tradi hanc doctrinam ob oecumenica synodo constat ex verbis quae paulo ante retulimus ex concilio Tridentino sess. XIV. cap. IV.

Hanc eandem doctrinam adstruere romanos pontifices liquet ex propp. XXXI. XXXII. LXX. et LXXI. Bani damnatis a s. Pio V. Gregorio XIII. et Urbano VIII. reliquis porro omissis, quae sunt de charitate perfecta, LXXI. ita se habet: *Per contritionem etiam cum charitate perfecta, et cum voto suscipiendi sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti* (2). Ergo contradictoria propositio vera et catholica est.

Scripturarum autem auctoritate hanc doctrinam fulciri constat tum ex iis omnibus locis in quibus traditur per veram conversionem illico peccata dimitti: sic Ezech. XXXIII. 12. *Impietas impii non nocet ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua*; tum ex textibus illis, in quibus docetur peccatum cum charitate quae individua comes est contritionis, consistere non posse; uti Prov. VIII. 17. *Ego diligentes me diligo*, et I. Petr. IV. 8. *Charitas operit multitudinem peccatorum*; Luc. VII. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*.

Inniti demum auctoritati ss. patrum ex luculentis ipsorum testimoniis quae collegit Bellarminus abunde patet (Loc. cit.). Nos brevitate gratia unum aut alterum ex iis afferemus. S. Jo. Chrysostomus: *Sicut ignis, inquit, in sylvam ingressus omnia purgare solet,*

(1) Sic censet Aurel. Piette *Elucidationes difficultiorum theologiae quaestionum*. p. 4. q. 7.

(2) Apud Hard. *Acta conc.* tom IX. col. 1206. et seqq. Prop. XXXI. ita se habet: «Charitas perfecta et sincera, quae est ex corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta, tam in catechumenis, quam in poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum:» XXXII. «Charitas illa, quae est plenitudo legis, non semper est conjuncta cum remissione peccatorum:» LXX. «Homo existens in peccato mortali, sive in reatu aeternae damnationis, potest habere veram charitatem: et charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu aeternae damnationis.»

sic dilectionis fervor quocumque inciderit, omnia tollit et excindit... ubi charitas est, omnia sublata sunt mala (1); s. Augustinus: *Sola charitas, ait, extinguit delicta* (Tract. 1. in I. ep. Jo. n. 6); s. Leo M.: *Nullas patitur veniae moras vera conversio, dicente Spiritu Dei per prophetam: cum conversus ingemueris, tunc salvus eris* (2); s. Petrus Chrysolog. *Absolvi vis? Ama: charitas operiet multitudinem peccatorum* (3).

His addimus auctoritatem s. Thomae, qui in 4. dist. 17. q. 2. a 3. scribit: *Quantumcumque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.* Ergo.

DIFFICULTATES. I. *Obj.* Scriptura non semel insinuat non semper peccata dimitti, quamvis poenitentes perfecta flagrent charitate. Etenim 1. Luc. VII. de muliere poenitente legitur in praesenti: *Remittuntur peccata multa, licet jamdiu praecesserit dilectio: Quoniam dilexit multum*; quod 2. pridem jam animadverterat s. Augustinus, qui de eadem muliere scribit: *accessit aegra ut rediret sana* (4); et post ipsum s. Gregorius M. qui hom. XXXIII. in Evangelia: *Lavanda (non lota)*, inquit, *ad fontem misericordiae cucurrit*; sic etiam s. Bernardus ait: *Tangit pedes mundi atque mundantis, immunda; et vestigijs Creatoris mulier criminosa procumbit* (5); 3. Paulo, qui jam vas erat electionis dixit Ananias, Act. XXII. 16. *Exsurge et baptizare et ablue peccata tua.* 4. His principiis innixus s. Augustinus passim docet catechumenis, licet charitate flagrantibus, absque baptismo vel securam non esse justitiam, vel aliquid deesse ad capessendum regnum caelorum, vel cordis conversionem non nisi in necessitate supplere baptismum, ut lib. IV. de baptismo (cap. 22), et Tract. XIII. in Jo. affirmat, quod *Quantumcumque catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suae portat; non illi dimittitur, nisi cum venerit ad baptismum* (N. 7); quod factio suo confirmat; sic enim de seipso scribit lib. IX. confess. c. IV. *Gaudens in fide laudavi nomen tuum. Et ea fides me securum esse non sinebat de praeteritis peccatis meis, quae mihi per baptismum tuum remissa nondum erant.* Augustino autem 5. consonant patres reliqui, inter quos s. Leo: *Sic divinae, scribit, bonitatis praesidijs ordinatis, ut indulgentia Dei, nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri* (Ep. CVIII. al. XCI. cap. 2). 7. Haec omnia confirmantur ex ipso concilio Tridentino, quod sess. XIII. can. XI. praescribit confessionem omnibus antequam ad eucharistiam accedant, quantumcumque se contritos existiment, solo excepto necessitatis casu, et cum copia confessarii non habeatur. Ergo.

Resp. Neg. Ant. ad 1. prob. Dist. Per confirmatio-

(1) Hom. VII. in II. ad Timothei. n. 5. *Καθάρσει δὲ τῆς ψυχῆς ἀποδοῦναι δύναται διακαρτερῶν εὐδοκῶν, εὐνοῶν καὶ ἡ τοῦ ἀγαθοῦ διπλοῦτος ἀποδοῦναι ἡ ἀγαθότης, ἡνὶκα ἀνακαταστήσεται ἡ ψυχή. Ἡ δὲ ἡμεῖς ἀγαθὴν ἀποδοῦναι δύναται καὶ χάρις.*

(2) Epist. CVIII. al. LXXXIII. cap. 4. edit. Baller.

(3) Sermon. XCIV. in Biblioth. Patr. Lugd. tom. VII. col. 920.

(4) Sermon. XCIX. al. Hom. XXIII. cap. 2.

(5) Sermon. in festo s. Mariae Magdal. n. 1.

nem coram hominibus factam ipsi mulieri, C. coram Deo, N. Alioquin his mulier illa absoluta fuisset ab iisdem peccatis, siquidem paulo post iterum dixit Christus mulieri: *Remittuntur tibi peccata*. Hoc etiam confirmatur exemplo hæmorrhoiſſæ, quæ etsi sanitatem jam obtinisset, tamen Marc. V. 34. dixit ei Christus: *Esto sana a plaga tua*. Verba autem illa: *quoniam dilexit multum*, non aliud significant juxta Bellarminum, quam magnam dilectionem causam fuisse magnæ indulgentiæ (1).

Ad 2. Dist. Docent citati patres mulierem illam accessisse immundam, nondum lotam, etc. in æstimatione hominum, C. vere et coram Deo, vel N. vel subd. Cum accessit, cucurrit, procubuit nondum perfecta charitate incensa, C. cum perfecta charitate dilexit, N. Quod expresse docet s. Bernardus serm. IV. de Dedicat. Eccles. dicens: *Errabat (Pharisæus), qui tanquam adhuc peccatricem horrebat, quæ divinis inhærens vestigiis, rigabat stilibus, tergebat crinibus, osculo premebat, ungebat unguento, etc.* (2).

Ad 3. Dist. Adimplendo conditionem a Christo præscriptam, vel ad habendum gratiæ signum, C. perinde ac si adhuc in peccatis suis esset, N. Item dicere possumus de Paulo jam converso, quod de Cornelio scripsit s. Augustinus: *Cornelius*, ait ipse, *audiens et credens, quod prædicaverat Petrus, ita mundatus est, ut ante visibilem baptismum, cum suis qui aderant, acciperet donum Spiritus Sancti, verumtamen nec visibile sacramentum contemni potuit, ut ablutus etiam extrinsecus, lavaret quodammodo vestimenta sua* (3).

Ad 4. Dist. Hoc dicebat s. Augustinus de catechumenis absque legitima causa baptismum protrahentibus, C. per se, N. In adductis enim locis aliisque non paucis s. Augustinus eos perstringit catechumenos, qui diu differre baptismum consueverant, ac merito affirmat his absque baptismo, quamvis sibi viderentur e charitate flagrare, non remitti peccata, nisi adimplerent quæ Christus jussit, cum contritio non remittat peccata independentem a virtute sacramenti. Ejus proinde susceptionem saltem in voto habere debent vere contriti.

Ad 5. Dist. Cum disserunt de iis qui nondum habent charitatem perfectam, C. secus, N. ut patet ex allatis documentis.

Ad 6. Dist. Vel in re vel in voto, C. in re tantum, N. Scopus enim s. Leonis est retrahere peccatores a procrastinanda poenitentia (4).

Ad 7. Dist. Ob periculum et facilitatem deceptio-

(1) De poenit. lib. II. cap. 14. n. 2.

(2) N. 3. qui ibidem subdit: « Numquid possibile est regnare peccatum in animo contrito et spiritu ingemiscenti, aut non multa charitas operit multitudinem peccatorum? Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Merito proinde jam non peccatrix, juxta tuam, Pharisæe, sententiam. » Et hæc quidem verus Bernardus: nam quæ ab adversariis obijciuntur desumpta sunt ex sermone spurio. Cf. edit. Mabill. opp. s. Bernardi vol. 2 pag. 734.

(3) Quæst. XXXIII. in Numeros n. 9.

(4) Ut patet ex cap. 5. ubi concludit: « Unde oportet nunquamque christianum conscientiæ suæ habere judicium, ne converti ad Deum de die in diem differat, » etc.

nis in re tam gravi, C. quasi censuerit, non semper remitti peccata dum vere adest contritio charitate perfecta, N. Adeo aperta est mens concilii Tridentini, ut nullus supersit ambigendi locus (1). Aliud porro est loqui in abstracto, ut dicimus, aliud vero in concreto. Nam quod contritio charitate perfecta talem producat effectum dubitare non possumus; semper tamen incerti sumus num ejusmodi contritionem reipsa habeamus.

II Obj. Si contritio charitate perfecta ante actualem baptismi aut poenitentiae susceptionem semper justificaret catechumenos aut poenitentes, jam sequeretur 1. inutile fore reale illorum sacramentorum susceptionem; 2. falsam pariter fore baptismi aut absolutionis formam; 3. contritionem et charitatem præcedere debere peccatorum remissionem, quæ quidem omnia falsa ac erronea sunt. Ergo.

Resp. Neg. primam seq. quia, uti jam observavimus, non confertur remissio peccatorum per actum contritionis aut charitatis nisi intuitu et virtute sacramenti, quod operatur sive: *In voto existens, vel in actu se exercens*, ut loquitur s. Thomas (*In suppl. Q. 48. a. 1.*) Hic si culpabiliter sacramentum non suscipiatur, nulla evadit adepta justificatio (2).

Neg. pariter alteram sequelam, tum ob rationem modo adductam, quia virtus clavium semper operatur sive actu, sive voto; tum etiam quia forma absolutionis tam primam quam secundam aut tertiam remissionem pro subjecti capacitate significat; tum denique juxta s. Thomam perinde valent verba *ego te absolvo ac sacramentum absolutionis tibi impendo* (3. p. q. 84. a. 3. ad 5), id est, per ea visibiliter quod invisibiliter Deus jam operatus est seu operatur.

Ad 3. Dist. Debet præcedere contritio aut charitas prioritate causæ et naturæ, C. prioritate temporis, N. Actus enim contritionis vel charitatis est ultima dispositio ad gratiam et remissionem peccatorum consequendam.

PROPOSITIO III. — *Ad sacramentum poenitentiae rite suscipiendum non est necessaria contritio charitate perfecta.*

Hæc propositio quæ sequitur ex præcedente ejusdem certitudinis est, præsertim post conc. Trid. Nec enim ignoramus a veteribus scholasticis ante Tridenti-

(1) Cf. Card. Pallav. *Storia del conc. di Trento*, lib. XII. cap. 10. n. 26. et seqq. nam n. 27. refert jam canonem paratum esse ad damnandam contrariam sententiam, qui tamen editus non est eo quod Balthassar Heredia se interposuerit.

(2) Hic quæstio agitur a TT. utrum peccata per contritionem cum voto sacramenti dimissa reviviscant, si quis postea culpabiliter negligat susceptionem sacramenti, nec enim defuerunt qui affirmarent; verisimilior tamen, imo certa videtur sententia, quod peccata semel remissa, quacumque demum ratione remissa sint, sive per sacramentum sive extra sacramentum nunquam renasci, neque quoad reatum culpæ neque quoad reatum poenæ. Nam cum remittantur peccata per gratiæ sanctificantis infusionem, penitus anima purgatur et sanctificatur et peccata illa destruantur; quod vero destructum est reviviscere nequit. Id tamen non vetat quominus qui negligit sacramentum, puniatur ob hoc speciale peccatum. Ceterum Cf. Vasquez *de poenit.* Q. 88. ar. 4. Dub. 1. præsertim n. 74. et seqq. ubi late de hac controversia disserit.

num, saltem usque ad s. Thomam, passim propugnata fuisse contritionis perfectæ necessitatem ad percipiendum cum fructu sacramentum poenitentiae, communemque penes illos hanc fuisse doctrinam (1). In concilio tamen Tridentino quæsitum est serio in ejusmodi opinionem ob affinitatem quam præ se ferre videbatur cum erroribus protestantium, quod scilicet a sacerdotibus non reipsa remittantur per verba absolutionis hominum peccata, sed solum declarantur esse remissa (2). Nulla tamen censura patres Tridentini illam sententiam perstrinxerunt, ne veteribus illis notam erroris inurerent. Ceterum si jansenistas qui fere obsoletam hanc doctrinam suam fecerunt, et paucos admodum theologos excipias, catholici quotquot sunt, ab ea recesserunt.

Sic igitur propositionis nostræ veritatem adstruimus: ex concilio Tridentino sess. XIV. cap. IV. duplex distinguitur contritio; altera quæ aliquando charitate perfecta est, hominemque cum Deo reconciliat priusquam sacramentum actu suscipiatur, altera imperfecta quæ quamvis sine sacramento per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, eum tamen ad Dei gratiam in sacramento poenitentiae impetrandam disponit. Supponit igitur Tridentinum ac pro certo habet 1. non esse necessariam perfectam contritionem ad sacramentum rite suscipiendum, alioquin non aliquando duntaxat, sed semper peccator priusquam sacramentum actu susciperet justificatus foret; 2. peccatorem vulgo ad justificationem perducere in sacramento poenitentiae per solam contritionem imperfectam, sive attritionem. Quæ quidem confirmantur ex Catechismo rom. qui inter cetera hæc habet: *Quin etiam statim ut eam (contritionem perfectam) mentibus nostris concepimus, peccatorum remissionem nobis a Deo tribui... prophetae verba illa declarant: Dixi: confitebor adversum me iniquitatem meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei. Atque ejus rei figuram in decem leprosis animadvertimus, qui a Salvatore nostro ad sacerdotes missi, antequam ad illos pervenirent, a lepra liberati sunt. Ex quo licet cognoscere, veram contritionis eam vim esse, ut illius beneficio omnium delictorum veniam statim a Domino impetremus* (Part. 2. cap. 5. n. 30). Cum vero idem catechismus passim doceat per verba absolutionis relaxari peccatorum vincula, pro certo proinde habet non esse necessariam contritionem perfectam ad rite suscipiendum sacramentum.

Ad hæc accedit damnata esse prop. LVIII. Baii quæ ita se habet: *Peccator poenitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo; qui poenitentiam suggerens et inspirans vivificat eum, et resuscitat: ministerio autem sacerdotis solus reatus*

(1) Nimis longum esset velle etiam per summa capita veterum scholasticorum placita referre, nec ulla utilitas exinde sequeretur. Qui tamen optaret sibi plenam de illis cognitionem comparare, consulat Morinum tum in op. *de poenitentia* lib. VII. cap. 2. et seqq. tum in op. *de contritione et attritione exercitatio historico-theologica* p. 1. de mente doctorum scholasticorum. Non tamen sine aliquo delectu doctissimi hujus viri opera legi debent.

(2) Cf. Card. Pallavic. op. cit. cap. 12. n. 6.

tolliatur (1). Jam vero si necessaria esset contritio charitate perfecta ad rite suscipiendum sacramentum poenitentiae, nunquam ministerio sacerdotis absolventis, sed semper a solo Deo peccator vivificaretur. Hoc propterea esset peculiare paradoxon hujus sacramenti in adversariorum hypothesi, ut in re nunquam produceret effectum quem significat, produceret vero semper in voto, quod sane absurdum est.

DIFFICULTATES. I. Obj. 1. Si rejicienda ut erronea foret opinio de absoluta necessitate contritionis perfectæ, ideo esset, primo quod finis et causa institutionis sacramenti poenitentiae, quæ est remissio peccatorum, cessaret, cum eam jam supponeret ante actualem sacramenti susceptionem; secundo quod non amplius formæ absolutionis sua veritas constaret, quia sacerdos solum declararet peccata esse remissa, minime vero reipsa absolvendo remitteret. Atqui hæ rationes aliæque ejusmodi nihil evincunt, cum 2. ex ipsa Tridentini doctrina contritio perfecta hominem Deo non reconciliet nisi dependenter a sacramenti voto quod in illa includitur; et aliunde 3. ipsa contritio pars essentialis sit ejusdem sacramenti. 4. Nonne qui tenent hominem semper Deo reconciliari per contritionem perfectam ante actualem sacramenti susceptionem, tum veritatem formæ absolutionis vindicant, tum sacramenti utilitatem? Ergo.

Resp. ad 1. Dist. Etiam, Tr. vel C. solum N. Potissima enim ratio ob quam catholici theologo passim ut erroneam præfatam sententiam rejiciunt ac impugnant, est quia adversatur aperte Tridentini concilii doctrinæ, quæ Scripturarum, patrum, universæque traditionis auctoritati innititur, prout ex dictis constat, atque ex dicendis magis patebit. Hinc jam collabescit superstructa argumentatio. Verum, et hoc omisso, N. minorem propositi argumenti.

Ad 2. seu ad 1. prob. Dist. Cum casus ille extraordinarius datur ut contritio sit caritate perfecta, per accidens, C. per se et natura sua, N. Alioquin sequeretur illud absurdum quod paulo ante indicavimus, ita videlicet a Christo esse institutum hoc sacramentum ut in voto semper operari debeat, nunquam vero possit operari in re.

Ad 3. Dist. Contritio est pars essentialis sacramenti in ipsa actuali ejusdem administratione, C. ante actualem administrationem, N.

Ad 4. Dist. At diversa ratione, scilicet, in casu extraordinario, ut diximus, ac per accidens, C. eadem ratione, N.

II. Obj. 1. Hæc sententia a Tridentino damnata non fuit; 2. eamque tribus eoque amplius seculis docuerunt unanimiter fere theologo, nec defuerunt qui vel in ipso concilio, Pallavicino teste (*loc. cit. n. 2. et seqq.*), vel post concilium eidem mordicus adhæserint, 3. Patrum auctoritati innixi, qui sacerdotum partes in hujus sacramenti administratione adumbratas docuerunt a Domino sive eum mundatum

(1) Cf. apud Hard. l. c. quæ fuit sententia nonnullorum antiquorum scholasticorum.

a se leprosum ad sacerdotes misit, ut cum sanatum declararent, sive cum Lazarum a se excitatum a mortuis jussit ut apostoli ab exterioribus vinculis solverent, inter quos 4. eminent s. Augustinus et Gregorius M. qui aperte tradunt vivum esse oportere, qui peccata constituit, nec quemquam esse absolvendum nisi quem sacerdos cognoverit vivificatum; 5. ab istorum patrum doctrina non discessit s. Thomas qui in 4. d. 21. a. 2. in corp. et alibi passim id ipsum docet concludens quod ordinatur confessio directe ad dimissionem poenae. Ergo.

Resp. ad 1. Dist. Ita tamen ut concilium eam improbaverit atque rejecerit, C. ut non rejecerit, N. Ex eo quod concilium nullam specialem notam illi sententiae inusserit, ob quamdam erga veteres scholasticos reverentiam, id unum inferri potest eam non esse haereticam, at ex eo quod non sit haeretica, non sequitur esse catholicam.

Ad 2. Dist. Antequam ab Ecclesia reprobata esset adeoque innoxie, C. postquam Ecclesia contrarium docuit, subd. a jansenistis ac paucis illis qui istorum vestigia sectari maluerunt quam Ecclesiae doctrinam, C. a cordatis theologis, N. Veri enim theologi munus est non propria, sed Ecclesiae sensa reverenter complecti.

Ad 3. Neg. Imo contrarium plane patres docuerunt 1. cum affirmarunt claves aeterni adytii traditas esse arbitrio Petri caeli janitoris; 2. hanc inesse sacerdotibus potestatem ut beneficio absolutionis vere peccata dimittant, 3. non nisi ad preces sacerdotis peccatoribus indulgentiam a Deo concedi; 4. sententiam sacerdotum priorem esse divina; 5. poenitentes ad vitam excitari solemnibus absolutionis ritu; 6. donec ad sacramentum veniant, catechumenos et poenitentes semper esse vinculis peccatorum adstrictos (1). Quae certe principia consistere nequeunt cum adversarium doctrina. Cum igitur patres adducunt exempla leprosi a Christo mundati ac Lazari excitati a mortuis, id unice significare volunt, Deum esse qui interiori gratia sua peccatores vivificat et mundat, sacerdotes vero non esse nisi causas instrumentales, quibus Deus utitur ad peccata mundanda, ut exponit Catechismus romanus (loc. cit. n. 35).

Ad 4. Dist. Vita inchoata et inchoata resurrectione, quam imperfecta contritio operatur per gratiam actualem, quae animam interius movet et excitat, C. vita plena et perfecta resurrectione, quae est effectus gratiae justificantis per sacramentum conferendae, N. Id patet ex ipsis s. Gregorii verbis, qui in eadem hom. XXVI. in Evangel. quae nobis opponitur, scribit: *Ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absolvat* (N. 6.); nec non ex verbis s. Augustini, qui aperte de illis, qui sacerdotum objurgationibus displicentes sibi, mutare vitam instituant, affirmat: *resurrexerunt isti; revixerunt quibus displicet quod fuerunt: sed reviviscentes ambulare non possunt. Haec sunt vincula ipsius reatus;*

(1) Horum omnium testimonia cf. apud Bellarm. de poenit. lib. III. cap. 2. et seqq.

opus est ergo, ut qui revixit, solvatur, et ire permittatur. Hoc officium discipulis dedit, quibus ait: *quae solveritis etc.* (1).

Ad 5. Dist. In commentariis in Magistrum sententiarum, C. in Summa ubi si quid minus caute antea scripserat, rerum momentis maturius perpensis emendavit, N. Porro in 5. p. q. 84, ar. 2 et 3., doctrinam nostram propugnat. Sic enim scribit ar. 3. *Cum sacramenta novae legis efficiant quod figurant, oportet quod forma sacramenti significet id quod in Sacramento agitur, proportionaliter materiae sacramenti. . . . Hoc autem sacramentum scilicet poenitentiae nec consistit in consecratione alicujus materiae sanctificatae, sed magis in remotione cujusdam materiae, scilicet peccati, prout peccata dicuntur esse materia poenitentiae. Talis autem remotio significatur a sacerdote cum dicitur: Ego te absolvo* (2).

CAPUT III. DE CONFESSIONE.

Confessio quae altera pars est sacramenti poenitentiae definitur solet: *Accusatio peccatorum, quae quis post baptismum commisit, legitimo sacerdoti facta ad illorum absolutionem obtinendam.* Wicleffus necessitatem confessionis impugnavit in casu perfectae contritionis, ut patet ex ejus art. VII a concilio Constantiensi proscripto: *Si homo debite fuerit contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua et inutilis* (3). Novatores confessionem interdum uti bonam ac salutarem commendant, interdum vero tanquam cruentissimam animarum carnificinam ac tormentum innocentianum execerantur, vel ad summum contendunt ejus usum liberum esse utpote institutionis mere ecclesiasticae. Increduli eandem viam tenent. Veteres montanistae ac novatiani admittunt confessionis divinam institutionem, restringunt tantum facultatem a Christo datam Ecclesiae absolvendi rite poenitentes ab omnibus peccatis. Jansenistae improbant usum confitendi peccata venialia. Hos errores omnes refellere aggredimur.

PROPOSITIO I.—*Confessio sacramentalis omnium et singulorum peccatorum mortalium quae post baptismum commissa sunt, divinae institutionis est, et necessaria ad salutem. Quod in primis sacrae litterae ostendunt.*

De fide est, ad quam sancendam hos canones edidit concilium Trid., sess. XVI, can. VI: *Si quis negaverit confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino; aut dixerit, modum secretae confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum, anath. sit.* Can. VII. *Si quis*

(1) Serm. XCVIII. al. XLIV. de verbis Dom. cap. 6.

(2) Certum videtur plerosque scholasticos usque ad s. Thomam docuisse necessitatem contritionis ad sacramentum poenitentiae rite suscipiendum, imo et s. Thomam ipsum, quidquid asserat Drouvenius, tum in aliis operibus tum in commentariis in Magistrum sententiarum adhaesisse communi tunc temporis sententiae, donec in Summa mutavit sententiam quam postea nunquam non est professus. Cf. Morinum op. et l. cit.

(3) Apud Hard. acta concil. tom. VIII. col. 299.

dixerit, in Sacramento poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino, confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima Decalogi praecpta, et circumstantias, quae peccati speciem mutant. . . . anath. sit. Can. VIII. *Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, et traditionem humanam, a piis abolendam. . . . anath. sit.*

Suppositis testimoniis superius ex sacris litteris recitatis: *Quaecumque alligaveritis, etc. Quorum remiseritis, etc.* Ita institutum argumentum: evidens est ex his verbis sacerdotes constitutos a Christo esse iudices facultate instructos ligandi atque solvendi, retinendi atque remittendi peccata: atqui, inquit Tridentinum (Sess. XIV, cap. 5), *constat sacerdotes iudicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque aequitatem quidem illos in poenis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat et non potius in specie, ac singillatim sua ipsi peccata declarassent.* Id ipsum fori civilis consuetudo plane demonstrat, ubi nisi iudices pro tribunali sedentes reorum causas vel ex propria confessione, vel accersitis testibus diligentissime inquirerent, discuterent, ponderarent, eorum iudicia ut iniquissimae praerogationes haberi deberent. Cum itaque Christus tribunal spirituale poenitentiae ad instar fori civilis erexerit, necessario fatendum est ex Scripturae auctoritate, nisi praevia singulorum peccatorum lethaliu cum suis circumstantiis quae speciem mutant, confessio fiat, remitti ac retineri peccata non posse.

Hunc praeterea ac non alium sensum esse verborum quibus Christus contulit hanc potestatem absolvendi aut ligandi, remittendi aut retinendi peccata constat ex ratione qua in praxim haec facultas ab Ecclesia deducta est, atque ex constanti traditione ac interpretatione Patrum per quos eorum verborum significatio determinata est. Quod sequenti propositione luculentissime ostendemus. Interim animadvertimus confessionem ipsam divinae institutionis esse, ac necessariam ad salutem, non autem modum confitendi sive palam sive secreto; qui modus afficit tantum disciplinam cujus Ecclesia moderatrix esse debet (1).

DIFFICULTATES. I. Obj. 1. Christus cit. verbis sacerdotes iudices minime constituit, cum ex Apostolo I. Cor., IV et II; Cor., V. non sint nisi *legati, ministri et dispensatores mysteriorum Dei.* 2. Verum, dato etiam quod veri iudices sint, nequeunt propterea peccata remittere, quod solius principis est,

(1) Conc. Trid. hoc aperte indicat sess. XIV. c. 3. Cf. Morinum de poenit. lib. II. cap. 10. § 14. et seqq. tum etiam cap. 9. ubi non pauca exempla profert ejusmodi confessionum, quae in publico concessu interdum fieri consueverunt. Id ipsum ostendit Massuetus in diss. III. Iren. cap. 7. Scio Petayum in annot. in s. Epiphani. haeres. LXXIX. § 5. contendere nunquam confessionem publicam viguisse. Verum ipse loquitur de publica peccatorum confessione quae aliqua lege fuerit praescripta praesertim in universa Ecclesia. in quo utique ei assentimur, ast negari non potest in nonnullis ecclesiis et per aliquod tempus ejusmodi confessionem obtinuisse.

iudicis vero munus statutas a lege poenas tantummodo exequi. 3. Principes praeterea iudices constituendo non prohibet, quominus subditi possint ad se immediate confugere, multo igitur minus Christus tribuens apostolis facultatem remittendi aut retinendi peccata vetuit, ne fideles ad se immediate confugiant ut remissionem peccatorum obtineant. 4. Dicendum est igitur liberam saltem esse omnibus confessionem, nisi 5. agatur de publicis peccatoribus, qui velint baptizari aut cibo eucharistico refici, non autem de occultis quorum reatus cum lateant Ecclesiam, nullum propterea ipsa jus habet in eos inquirendi et iudicandi (1). Ergo.

Resp. ad 1. Neg. ad prob. Dist. Id est sacerdotes iudices non sunt auctoritate suprema et propria, C. ministeriali et communicata, N. Christus enim apostolis eorumque in sacerdotio successoribus missionem contulit et auctoritatem administrandi sacramenta eo modo quo ab ipso instituta sunt: sacramentum porro poenitentiae voluit ut administraretur ad modum iudicii; ergo hoc ipso instituit sacerdotes vere iudices in hoc Sacramento.

Ad 2. Dist. Nomine et auctoritate propria, C. nomine et auctoritate Christi et juxta leges ab ipso latas, N.

Ad 3. Dist. Nisi constaret de aperta Christi voluntate, ut non consequamur peccatorum remissionem praeterquam virtute clavium, C. si de hac voluntate constet, N. Sane vel ipsa clavium metaphora qua usus est Christus aperte ostendit non posse nos alia ratione peccatorum remissionem obtinere quam per illorum ministerium, quibus ipse claves commisit. Quorsum enim alicui claves traderentur, si cuique domus adytus pateret (2)?

Ad 4. Neg. Responsio patet ex modo dictis.

Ad 5. Neg. Distinctio enim quam Binghamus invenit arbitraria est; nam Christus nullum faciens discrimen inter peccata publica et occulta, omnia remittendi facultatem dedit apostolis. Quod si Ecclesia in foro externo non iudicat de occultis, de iisdem tamen iudicat in foro interno juxta potestatem sibi a Christo datam.

Inst. 4. Absolutio est alieni beneficii executio, non autem iudicium; 2. Christus enim mandatum quidem dedit remittendi peccata, at non dedit mandatum de peccatis cognoscendis; 3. quod ostenditur ex baptismi exemplo, qui confertur in remissionem peccatorum absque ipsorum manifestatione. Ergo.

Resp. ad 1. Dist. Est executio alieni beneficii conferendi per actum iudiciale, adeoque cum causae cognitione, C. conferendi quaecumque ratione, N.

Ad 2. Dist. Dedit Christus mandatum remittendi peccata simul et retinendi, si opus fuerit, C. solum

(1) Ita passim Kemnitius, et post eum Dallaeus et Bingham.

(2) Cf. Scheffmacherum *lettres d'un docteur allemand de l'université de Strasbourg à un gentilhomme protestant.* Strasbourg. 1750. tom. I. lettre 4. troisième proposit. cl. etiam Maldonatum de *Sacram. poenit.* c. 6.